DE

NOMINE ADVOCATORVM HONORIFICENTISSIMO

DISSERIT

SIMVLQVE



LECTIONES PRIVATAS
HOC SEMESTRI AESTIVO
HABENDAS

INDICIT

ADRIANVS STEGERVS,
PHIL. ET I.V.D.
SVPR. CVR. PROV. ET CONSIST. ASSESSOR
ET SENATOR.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMII.



PROOEMIVM.

NVlla res tam bona, tamque omnibus numeris absoluta dici aut fingi potest, quam non soleant ad abusum trahere mortales, ad mala quam ad bona imitanda procliuiores. Quod cum ex tot exemplis, quot res existere in hac vniuersitate videmus, manifestum est, tum ex nomine ADVOCATORVM tam clarum, quam quod maxime. Nam quemadmodum antiquissimis temporibus suae originis, tam nobile, tamque honorificum hoc nomen fuit, vt paucissima eidem praeferenda, plurima vero postponenda iure meritoque videantur, sic nostra aetate nihil eo humilius, nihil abiectius, nihil sordidius existimant, qui de meliore luto se fictos, nec obesae naris esse iactitant. Hinc nullum est genus conuiciorum, quod non pleno ore eructent in ADVOCATOS: Crepant *vulturios togatos*, clamant

clamant *formularios* ac *legicrepas*, fingunt *deos notariorum, patresque artis rabulisticae*. Causam si quaeras, cur tanto correpti impetu debacchentur in hominum genus generi humano vtilissimum maximeque necessarium, non adeo difficilis ea est coniectura. Vulgi sermone tritissimum est dictum, ignoti nulla cupido, et ars non habet osorem nisi ignorantem; Hanc qui causam conuiciorum, quae in ADVOCATOS coniiciuntur, venditare voluerit, per me id vnicuique erit integrum: Persuasissimus certe sum, si hi ADVOCATORVM calumniatores duces eligerentur ad iustitiam exercendam, et ad suum cuique ius tribuendum, breui ea tempora postliminio quasi reditura esse, quibus Astraea propter hominum ignorantiam malitiamque in coelum euolasse dicitur. Nec is me adeo sibi contrarium habuerit, qui istos homines similes esse dixerit illis, qui lunam in coelo positam nulla alia de causa allatrant, quam quod ad eam adspirare nequeunt: Nam sicut verissimum est, quod ille ait; assidua virtutis comes est inuidia, sic mirum non est, ADVOCATOS iustitiae ministros et defensores, ab iis proscindi, qui se solos iudicant peritos, quique nihil rectum putant, nisi quod ipsorum studiis moribusque conueniat: qui si tenerent iustitiam esse reliquarum virtutum dominam ac reginam, mundumque sole facilius, quam iustitia carere posse, nunquam, indignissima plane homine ingenuo et humanitatis studioso, ratione, inueherentur in eos, qui sacra iustitiae pandunt, et suum cuique ius conciliant. Nunquam etiam ADVOCATOS sibi fingerent, et aliis exhiberent, *quos ad hanc vitae rationem ineundam desperatio adegit*, nec illos *Deo hominibusque inuisos* proponerent; multo minus *priuilegia*, quibus causarum Patroni vtantur, a nemine, nisi ab eo, qui ista lepidissime sibi visus est excogitasse, vnquam vsurpata et adhibita: Sed cur id fiat, in

promtu

promtu causa est: Quoniam enim haec cohors est pugnacissima, vsque eo, vt, si non inueniat hostem, eum sibi mente concipiat ipsa, ita fit, vt tales ADVOCATOS animo fingat, quales nulla vnquam aetas tulit, ne, quum caestus vbique iactet, Andabatarum more, cum vmbra pugnasse videatur. Melius sine dubio consulerent eiusmodi homines rebus suis, si de re, quam nec intelligunt, nec ab aliis intellectam pati possunt, male loqui ac scribere desinerent. Verendum enim est, ne ipsis accidat, quod Megabyzae contigisse olim legimus: Qui, cum in officinam Apellis, nobilissimi pictoris, aliquando intrasset, et tandem quaedam de arte pingendi differere coepisset, ideo ab Apelle reprehensus est, quod de rebus, quas non sciret, loquens rideatur a pueris, qui eum antea ob purpuram et aurum suspexissent. Certe non exiguam rerum ignorantiam produnt illi, qui ADVOCATORVM nomen ignobile nec honorificum contendunt, siquidem nullum fere nomen, tantis facile personis tributum est, tantisque laudibus ornatum, quam ADVOCATORVM. Quam rem vt paulo copiosius explicare constitui, sic in duo capita omnem distribuam tractationem, quorum vnum docebit *ipsum nomen* ADVOCATORVM *summis personis honorificentissimisque olim fuisse impositum*, alterum vero exponet *Titulos et laudum ornamenta, quibus ipsi* ADVOCATI *in Corpore iuris decorantur.*

CAPVT PRIMVM.

DE NOMINE ADVOCATORVM HONORIFICENTISSIMIS PERSONIS TRIBVTO.

§. I. *Origo* ADVOCATORVM *varia traditur. Vnde petenda?*

§. II. ADVOCATI, *apud Romanos, quid? et an a Patrono differant? An iureconsulti?*

§. III. *Iuris consultorum dignitas: quid apud Romanos?*

§. IV. ADVOCATVS *idem, qui causae patronus:*

§. V. *Ipsi Imperatores* ADVOCATI *dicti.* ADVOCATIAE *Ecclesiasticae Origo. Nomen* ADVOCATIA *quando ortum?*

§. VI. ADVOCATIA *distincta in vniuersalem.*

§. VII. *In Generalem:*

§. VIII. *In Specialem:*

§. IX. ADVOCATI *fisci dignitas.*

§. X. *Aduocatiae prouinciales per Germaniam.*

§. I.

QVod ad nominis ADVOCATI originem attinet, primus id statim conceptus docet, deriuandum esse a verbo *aduoco*, cui etiam res ipsa patrocinatur, vti ex mox dicendis, patebit pluribus. Sed quamuis haec sint clarissima, et in mensa solis, quod aiunt, posita, tamen hic etiam criticorum ingenia, se non potuerunt non more consueto ostendere. Nam in procliui est, alios nominis ADVOCATI natales in Graecia, alios in Iudaea, alios denique in Germania quaesiuisse. Qui Graeciae sunt paullo studiosiores, illud deducunt a Graecorum βοηθὸς vel βοήθεια, quorum hoc *auxilium*, illud autem *adiutor* significat; quo praeter ceteros spectat IO. IACOB. DRACO *de Orig. et iur. Patric. Lib. II. c. 6. n. 25.* At haec si deriuatio admittenda esset, ante omnia demonstrari oporteret, ipsum Latinum

verbum

verbum *vaco* a Graeco βοηθέω descendere, quod vero quam contortum esset, quamque inuita fieret Minerua, nemo non perspicit. Nec magis illi sunt audiendi, qui nescio quo amore in Ebraeam linguam fascinati, quemadmodum omnes volunt reliquas linguas et voces ex ea deducere, sic etiam nominis ADVOCATVS Originem scrutantur in voce Ebraeorum מוקד, quae *Praefectum* notat *vid.* MARTIN. MAGERVS *de aduocatia armata Cap. 7, n. 61. et 203.* Nam quid opus est, ab Ebraeis petere subsidia, cum ea faciliori negotio, in ipso Latio haberi queant? A Germanis denique, qui originem huius nominis arcessunt, et a nomine Voigt, vel a verbo antiquo Vögen, i. e. *disponere, ordinare*, deriuant, egregie ignorant, Romanis nomen ADVOCATORVM prius cognitum fuisse, quam ipsos Germanos: *vid.* M. EHRENFRIED DÜRR *Diss. de terra aduocatorum §. 12. et 13.* Nobis igitur istorum sententia insigniter placet, qui ADVOCATOS dictos putant ab *aduocando. vid.* BRISSONIVS *de verbor. signif. verb.* ADVOCATVS.

§. II.

Euoluta breuiter origine nominis, rei etiam natales sunt inquirendi. Quid initio apud Romanos fuerint ADVOCATI, ipsa nominis ratio declarat. Nam *moris erat*, inquit FRANCISCVS HOTOMANNVS *ad Ciceronis orationem pro Quinctio cap. I. in iudiciis tum publicis, tum priuatis amicos omnes aduocare, quorum auctoritate moueri iudices posse putabantur, iique* ADVOCATI *dicebantur, qui scilicet praesentiam suam amico, vt eorum praesidio, ab iniuria aduersarii tutus esset, commodabant.* Itaque ADVOCATVS ab actore seu patrono causarum ita differebat primis apud Romanos temporibus, vt ille aut ius suggereret, aut praesentiam suam commodaret, hic vero causam ageret et peroraret. Tradit id verbis disertissimis ASCONIVS

NIVS PAEDIANVS *ad Ciceronis diuinationem in Verrem pag. 1759: Qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur, si orator, aut* ADVOCATVS, *si aut ius suggerit aut praesentiam suam commodat, aut procurator, si negotia suscipit, aut cognitor, si praesentis causam nouit, et sic tuetur vt suam.* Inde Latinis reus dicitur *aduocare*; ADVOCATVS contra *adesse*. Prius manifestum est ex PLINIO *Lib. IV. Epist. XVII. Est quidem mihi cum isto, contra quem me* ADVOCAS, *non plane familiaritas, sed tamen amicitia.* Vnde *aduocare* Latinis est fautores conquirere, ac patronos seu ADVOCATOS rogare. *vid.* IOA. FRIDER. GRONOVIVS *ad Senecam de clementia Lib. I. cap. IX.* Contra de ADVOCATIS seu fautoribus verbum *adesse* a Romanis adhibitum fuisse ex eodem PLINIO patet *Lib. I. epist. VII. Nec fidei nostrae*, inquit, *nec constantiae, quam diligis, conuenit, adesse contra prouinciam, quam tot officiis, tot laboribus, tot etiam periculis meis aliquando deuinxerim.* Nam teste DONATO *ad Terentii Andr. prolog. vers. 24.* ADVOCATVS reo dicitur adesse. Eodem cumprimis pertinet CICERO *Topic. XVII. Priuata Iudicia maximarum quidem rerum in iure consultorum mihi videntur esse prudentia; nam et adsunt multum, et adhibentur in consilium, et patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus hastas ministrant.* Ex quo quidem loco lucidissime apparet, tempore Ciceronis ADVOCATORVM nomine venisse Iureconsultos. Iam vero si ADVOCATI dicti sunt Iureconsulti apud Romanos, nihil de hoc nomine honorificentius dici potest.

§. III.

Quis enim nescit, Iure Consultos apud Romanos, summae dignitatis, summaeque auctoritatis viros fuisse? Nam ad aedes eorum confluebat mane turba clientum, qui ad eos

eos consulendos ostia pulsabant. HORATIVS sic canit *Serm. I. 1. 9. sqq.*

Agricolam laudat iuris legumque peritus
Sub Galli cantum, consultor vbi ostia pulsat.

Vestibulum maxima quotidie frequentia ciuium frequentabatur, et atria, hominibus plena, conspiciebantur. Eleganter CICERO *de oratore I. 45. Quid enim est praeclarius, quam posse suo iure dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, se esse eum, vnde sibi, si non populi et reges, at omnes sui ciues consilium expetant:*

Suarum rerum incerti, quos ego mea ope ex
Incertis certos compotesque consilii
Dimitto, vt ne res temere tractent turbidas.

Est enim sine dubio domus Iuris consulti totius oraculum ciuitatis. Huc accedit, quod non solum consulentibus responsa sua dabant Iureconsulti, verum etiam a iudicibus ipsis nonnunquam consulebantur. Perspicuum id est ex GELLIO *Noct. Attic. Lib. XII. c. 13. Quum Romae a Consulibus iudex extra ordinem datus, pronunciare intra Kalendas iussus essem, Apollinarem Sulpicium doctum virum percunctatus sum, an his verbis intra Kalendas, ipsae quoque Kalendae tenerentur, dixique ei, me videlicet datum, Kalendasque mihi prodictas, vt intra eum diem pronunciarem. Cur, inquit, hoc me potius rogas, quam ex istis aliquem peritis studiosisque viris, quos adhibere in consilium iudicaturi soletis? Tum illi ego ita respondi: Si aut de vetere, inquam, iure, aut recepto, aut controuerso et ambiguo aut nouo et constituto discendum esset, issem plane sciscitatum ad istos, quos dicis etc. etc.* Plura de Iureconsultorum apud Romanos dignitate et auctoritate dabunt Illustr. IO. GOTTL. HEINECCIVS, *in Antiquit. Roman. Lib. I. Tit. II. §. 31. seqq. pag. 60. seqq.* et Conf. IO. LVDOV. LANGGV-

THIVS, amicus noster coniunctissimus *in diss. inaug.* nuperrime apud nos habita; *De Libertate sentiendi iurisperitorum veterum Romanorum, bodiernorumque.* Quid igitur nomine ADVOCATI honorificentius apud Romanos, quod de iis dicebatur, *quorum ianua*, vt CICERO loquitur, *de Oratore I. 45. et vestibulum, maxima quotidie frequentia ciuium ac summorum hominum splendore celebratur.*

§. IV.

Negari non potest, Ciceronis tempore ADVOCATVM, vt iam diximus, a patrono causae distinctum fuisse. Id praeter cetera monstrat locus eiusdem CICERONIS *pro Cluentio cap. 40. Nam quam quidem Quinctius causam vnquam antea dixerat, cum annos ad quinquaginta natus esset? quis eum vnquam non modo in patroni, sed in laudatoris aut* ADVOCATI *loco viderat?* Interim tamen vehementer se et alios fallunt, qui negant, ac pernegant, ADVOCATVM a Romanis eum appellatum esse, qui causam agit, reumque defendit. Nam vt alia testimonia ex Corpore iuris huc omnino facientia iam praetermittam, ita disertissime legitur: *l. 6. pr. C. de Postul. Quisquis vult esse causidicus, non idem in eodem negotio sit* ADVOCATVS *et iudex, quoniam aliquem inter arbitros, et patronos oportet esse delectum.* In quo quidem loco quum *caussidicus*, ADVOCATVS ac *patronus*, vnam eandemque personam denotent, quae scilicet causam agat ac defendat, quis dubitabit, tunc temporis ADVOCATOS eosdem fuisse, quos Romani primis temporibus causarum patronos nuncuparunt. Neque vero desunt auctorum Latinorum, quos ad argenteam aetatem, harum rerum studiosi, plerumque referunt, suffragia; quibus ADVOCATVS pro causae patrono agnoscitur et confirmatur. Ita sane hoc nomen

posuit

posuit PLINIVS *Lib. V. Epist. XXI. Sedebant iudices, decemuiri venerant, obseruabantur* ADVOCATI, *silentium longum, tandem a praetore nuntius.* Consentit TACITVS *Annal. Lib. XI. cap. 5. 6. et 7.* cuius locum integrum iuuabit apponere, quippe nostro instituto perquam accommodatum: *Continuus inde et saeuus accusandis reis Suilius, multique audaciae eius aemuli. Nam cuncta legum et magistratuum munia in se trahens princeps, materiam praedandi patefecerat; Nec quidquam publicae mercis tam venale fuit, quam aduocatorum perfidia: adeo, vt Samius insignis eques Romanus, quadringentis nummorum millibus Suilio datis, et cognita praeuaricatione, ferro in domo eius incubuerit. Igitur incipiente C. Silio consule designato, cuius de potentia et exitio in tempore memorabo, consurgunt patres, legemque Cinciam flagitant, qua cauetur antiquitus: Ne quis ob caussam orandam pecuniam, donumue accipiat. Deinde obstrepentibus his, quibus ea contumelia parabatur, discors Suilio Silius acriter incubuit, veterum Oratorum exempla referens, qui famam in posteros, praemia eloquentiae cogitauissent pulcherrima; alioquin et bonarum artium principem sordidis ministeriis foedari; ne fidem quidem integram manere, vbi magnitudo quaestuum spectetur; quod si in nullius mercedem negotia tueantur, pauciora fore: nunc inimicitias, accusationes, odia, et iniurias foueri, vt quomodo vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam aduocatis ferat; meminissent C. Asinii et Messallae ac recentiorum Arruntii et Aesernini, ad summa prouectos incorrupta vita et facundia. Talia dicente consule designato, consentientibus aliis parabatur sententia, qua lege repetundarum tenerentur; cum Suilius et Cossutianus et ceteri, qui non iudicium (quippe in manifestos) sed poenam statui videbant,*

 circum-

circumsistunt Caesarem, ante acta deprecantes; Et postquam annuit tacens, incipiunt: Quem illum tanta superbia esse, vt aeternitatem famae spe praesumat? vsui et rebus subsidium praeparari, ne quis inopia aduocatorum potentioribus obnoxius sit: neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiares, vt quis se alienis negotiis intendat; multos militia, quosdam exercendo agros tolerare vitam, nihil a quoquam expeti, nisi cuius fructus ante praeuiderit. Facile Asinium et Messallam, inter Antonium et Augustum bellorum praemiis refertos, aut ditium familiarum haeredes Aeserninos et Arruntios, magnum animum induisse: promta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius, aut C. Curio concionari soliti sint, se modicos Senatores, quieta Rep. nulla nisi pacis emolumenta petere. Cogitaret plebem, quae toga enitesceret; sublatis studiorum pretiis, etiam studia peritura. Accedit porro *auctor dialogi de Causis corruptae eloquentiae cap. I. Horum temporum diserti causidici, et* ADVOCATI *et patroni, et quiduis potius, quam oratores vocantur.* Omnium vero clarissime GELLIVS *Noct. Attic. Lib. I. cap. XXII. Irroborauit inueterauitque falsa atque aliena verbi significatio eius, quod dicitur, hic illi superest, quum dicendum est,* ADVOCATVM *esse quem cupiam, causamque eius defendere.* Sed satis ex his elucere arbitror, honorificum ADVOCATORVM nomen apud Romanos fuisse. Ergo ad reliqua pergo.

§. V.

Quemadmodum apud Romanos viri honorificentissimi et in summo culmine honorum ac famae splendore constituti dicebantur ADVOCATI, sic, extincta republica Romana, et in singulare Imperium commutata, ipsi Imperatores, qui summam imperii tenebant, nomen ADVOCATI dignum

dignum iudicarunt, quod sibi sumerent. Ergo, si maxima est inter gentes dignitas, quam sustinet Romanorum Imperator, tanto maiori etiam honori cedit nomini ADVOCATORVM, vtpote ab illis vsurpato, quanto excellentior est imperatoria dignitas, reliquorum principum amplitudine. Cur vero, et quo sensu Imperator se ADVOCATVM vocet, neminem ignorare puto: quem enim fugit Imperatoris ADVOCATIA ECCLESIASTICA? Quod ad rei originem attinet, multo illa est antiquior, quam ipsum nomen ADVOCATIA. Nam illa ab ipsis vitae monasticae institutis est arcessenda, quippe quibus vel sanctioris professionis ratio, vel administratio sinistra bonorum Ecclesiasticorum vel monasteriorum et Ecclesiarum incolumitas suasit, vt protectores sibi tutoresque praeficerent, quorum sub patrocinio tuti esse possent. His accedit conciliorum autoritas, Carthaginiensis prioris et Mileuitani, quae satis superque demonstrant, iam isto tempore protectorum Ecclesiasticorum vsum viguisse. Ipsi etiam Byzantini Imperatores in actu inaugurationis, solenni, sacramento se ad ecclesiae protectionem obligarunt; *vid.* GABR. SCHWEDERVS *in diss. de aduocatia ab Imperatore protestantium Ecclesiis non minus ac Rom. Catholicis aequali iure praestanda. Part. I. §. 2. seqq.* Ipsum vero nomen ADVOCATIA Carolo M. demum Tituli loco accessit, eiusque temporibus vsu inualuit. Nam hoc artificio vsus est semper Pontifex Romanus, vt principes de se bene meritos honorificis ornaret Titulis: Nota sunt nomina regibus Hispaniarum, Galliarum, Hungariae et Angliae tributa, Catholicus, Christianissimus, Apostolicus, defensor fidei: *Eadem ratione, scribit* CASP. ACHATIVS BECK *in diss. de Triplici Aduocatia Imperatoris Ecclesiastica Cap. III. §. 1. euenit, vt reges Francorum Pipinus et Carolus M. praestito feliciter,*

ad quod vocati erant, contra Longobardos auxilio, defensores seu ADVOCATI ECCLESIAE ROMANAE *appellarentur: Vnde postea patrocinium illud vsitato tum temporis vocabulo, vtut minus Latino,* ADVOCATIA *dici coepit.* Et sane Adrianus Pontifex Romanus Carolum Francorum regem, imperatorio titulo, per trinam populi Romani acclamationem insignitum, aurea corona pretiosissima et augustali chlamyde exornauit, hocque ipso, recepto solemni ritu iuramento, protectorem et ADVOCATVM Romanae Ecclesiae constituit. *vid.* GABR. SCHWEDERI *diss. cit. Part. I. §. 4.*

§. VI.

Varie distinguitur haec ADVOCATIA Imperatoris Ecclesiastica. Nonnulli enim duas eius constituunt partes, eamque vel generalem seu communem, vel specialem esse affirmant. Faciunt id IACOB. CAR. SPENER *in iure Germanico publico Part. III. pag. 400.* nec non IO. CHRIST. MVLDNERVS *in diss. de protectione ab imperatore ecclesiis vtriusque religionis debita.* Nobis hic licebit, eorum legere vestigia, qui hanc ipsam ADVOCATIAM Imperatoris ecclesiasticam diuidunt in *vniuersalem*, *generalem*, et *specialem*, propterea, quod haec diuisio nostris est temporibus accommodatissima: Praeiuit nobis hac in parte cum primis paulo ante laudatus CASP. ACHAT. BECK *in cit. diss.* Hic enim, disposita, vti diximus, hac aduocatia in vniuersalem, generalem et specialem, capite I. exponit, *vniuersalem* illam, quam *ius* esse dicit, *vniuersam ecclesiam christianam contra christiani nominis hostes tuendi ac protegendi, causasque illius etiam controuersas, ad communem salutem et tranquillitatem dirigendi ex consensu aliarum gentium, omniumque saeculorum vsu, Romano-Germanicis Imperatoribus legitime quaesitum.* Atque huc pertinet, quando

do Fridericus I. Imperator ADVOCATVS peculiaris terrae Palaestinae appellatur; TAGENO *in descript. expedit. Asiat. p. 13. In Nomine Domini nostri Iesu Christi, Romanus Imperator,* ADVOCATVS *peculiaris terrae Palaestinae hostes penetrauit securus.* Vi huius vniuersalis aduocatiae etiam aliis gentibus Synodos indicebat vid. SPENER *dict. loc. pag. 392.* Sic enim Vrbanus IV. pontifex scribit ad Richardum imperatorem apud LEIBNITIVM *Prodrom. Cod. Diplom. Num. XIV. p. 13. Sacerdotium pium et tutum debet habere refugium, imperialem mansuetudinem, cum sua veneratione coniunctum, vt imperii Romani fastigium, et eius culmini praesidens, specialis* ADVOCATI, *et defensoris praecipui circa ecclesiam gerat officium, et in ipsius fortitudine brachii, defensentur ecclesiae libertates, et iura manuteneantur ipsarum, extirpentur haereses, cultus Christianae fidei amplietur, etc.* Vnde fiebat, vt Imperatores vocarentur: Vogt, und Schirm-Herr der Christlichen Kirche, *in recessu Imp. Treuir. et Colon. de anno 1512. §. 4.* Der oberste Vogt und Schirm-Herr der heiligen Christlichen Kirche, *in R. I. Augustano de anno 1530. §. 9.* Der heiligen Christlichen Kirche rechter Vogt, Schutz- und Schirm-Herr, *in R. I. Augustano, de anno 1518. §. 1.* Advocat der heiligen Christlichen Kirchen und Beschirmer der Concilien, *in R. I. Augustano, de anno 1548. §. 6.* Imo ipsi Imperatores non dubitarunt semet ipsos appellare ADVOCATOS Ecclesiae, quod suis exemplis confirmant temporibus nouissimis IOSEPHVS et CAROLVS VI. in *Capitulationibus* suis *Articulo 1.*

§. VII.

Generalis vero *Imperatoris* ADVOCATIA *est*, definiente eodem BECKIO *cit. diss. cap. II. §. 1. ius, aequali modo regendi tuendique ecclesias in Ciuitate Romano-Germanica*

manica publice approbatas, Caesareae maiestati vi summi Imperii competens, atque secundum leges fundamentales, ad communem reipublicae salutem, exercendum. add. SCHWEDERVS *in cit. diss. Part. II. pag. 23. seqq.* Generalem appellare solent iuris publici doctores, quia medio quasi incedit gradu, si nimirum vniuersalem illam, et deinde specialem, inter se contendimus: Nam quemadmodum illa vniuersalis, ad vniuersalem ecclesiam, et haec specialis ad ecclesiam Romanam speciatim spectat, sic haec generalis respicit et repraesentat defensionem trium illarum in imperio Germanico toleratarum ecclesiarum publiceque comprobatarum religionum. Si quis tamen ideo eam velit vocare generalem quod vnusquisque princeps generatim officii sui ratione, et sine vlla obligatione speciali omnibus sibi subiectis in genere eam praestat, non adeo a vero aberrauerit.

§. VIII.

Specialis denique ADVOCATIA *Imperatoris ad pontificis sedem Romanam pertinet.* Huic enim speciali ratione protectionem praestare tenebantur imperatores, vi illius, quod Pontifici dare debuerant, promissi, an iuris iurandi. Docet id praeter cetera exemplum Henrici II. qui referente DITHMARO *Lib. VII. p. 400. ad ecclesiam S. Petri, Papa expectante venit, et antequam introduceretur; ab eodem interrogatus, si fidelis vellet Romanae patronus esse et defensor Ecclesiae, sibi autem suisque successoribus, per omnia fidelis, deuota professione respondit.* Quae quum ita sint, inimicum veritatis esse oportet, qui nomen ADVOCATORVM non sit reputaturus HONORIFICVM, quod ne Imperatores quidem dedignati sunt et sibi vindicare, et tituli loco vsurpare.

§. IX.

§. IX.

HONORIFICVM etiam ADVOCATORVM nomen reddidit fiscus sub Imperatoribus. Nam fisci patroni seu ADVOCATI viri fuerunt amplissima dignitate, maximisque honoribus praediti; De iis agitur in *Tot. tit. Cod. de aduoc. Fisc.* Hanc dignitatem primus omnium instituisse legitur Adrianus Imperator. Nam teste AELIO SPARTIANO *in eius vita cap. 20. Fisci* ADVOCATVM *primus instituit.* Amplitudo huius muneris ex officio suo satis cognosci potest, quod non solum circa causas Ciuiles versatur, sed et ad Criminalia se extendit, quemadmodum id docuit ARNOLDVS IKEN *in disp. inaug. De Aduocato fisci, eiusque officio.*

§. X.

Nec parum honoris conciliant huic nomini ADVOCATIAE prouinciales per Germaniam: De his *Vir Illustr.* IO. IAC. MASCOVIVS, Praeceptor noster, aetatem pie deuenerandus, *in princip. iur. publ. Lib. IV. cap. 5. n. 44. pag. 264.* hisce verbis loquitur: ADVOCATI *per prouincias res et iura Imperii aut bona Episcoporum aut monasteriorum curabant.* Neque enim illa prouincia quae nobis Voigtland dicitur, aliunde nomen accepit, nisi ab his ipsis ADVOCATIS; Et quis nescit prouincialem aduocatiam per Sueuiam et Alsatiam? De aduocatiis publicis inferioris Lusatiae lectu dignissima est *Dissertatio Exc.* CAR. WILH. GAERTNERI, patroni nostri colendissimi, de hac materia Lipsiae habita. Nonne etiam ipsae vrbes Imperii immediatae teste iam laudato *Ill.* MASCOVIO *cit. loc. cap. 7. n. 6. 7. et 8. p. 278. vel* ADVOCATVM, *vel Scultetum, interdum vtrumque Magistratum ab Imperatore acceperunt: qui partiri iurisdictionem solebant, ita plerumque, vt in causis capitalibus* ADVOCATVS, *in Ciuilibus Scultetus cognosceret? Nonnullae etiam* ADVOCATO *Prouinciali*

ciali in quibusdam partibus fuerunt obnoxiae, vt decem ciuitates in Alſatia, quae ſub praefectura Prouinciali Hagenouienſi fuerunt. Haec ADVOCATI *ac Sculteti officia, paſſim familiis quibusdam iure hereditario conceſſa fuerunt: Sic domus Saxonica quondam et* ADVOCATI, *et Sculteti officium habuit, in vrbe Nordhuſa, et Domus Haſſiaca adhuc habet praefecturam Imperialem in vrbe Vetzlaria.* Haec ſane omnia loquuntur dignitatem perquam honorificam ADVOCATORVM; vt de ADVOCATIS, et ADVOCATIIS Germanicis omnibus ſigillatim nihil commemorem: de quibus ita egit *Ill. et Magnif.* CAR. OTTO RECHENBERG vir omni noſtra laude maior, patronus noſter ſubmiſſe venerandus *in diſſ. de* ADVOCATIS *et* ADVOCATIIS *Germanicis*, vt, quid hac in materia deſiderari amplius poſſit, non videamus. Nolo etiam multis oſtendere, ADVOCATOS praelatorum nomine merum imperium exercuiſſe, et pro Epiſcopis et abbatibus inter Ciues ipſius eccleſiae ius dixiſſe, eorumque conſenſum in feudalibus inueſtituris neceſſarium fuiſſe, et quatenus praefecti regionis fuerunt, aut prouinciae, comitibus et conſulibus praelatos fuiſſe. Taceo denique omnes principes, qui ſibi ſubiectos, a vi et hoſtibus defendunt, ADVOCATOS et eſſe et dici conſueuiſſe. De quibus omnibus copioſiſſime iam diſſeruit MARTINVS MAGERVS *de aduocatia armata cap. II. X. et XI. etc.* Satis itaque, ni fallor, hactenus commemoratis euictum dedimus nomen ADVOCATORVM ſummis doctiſſimisque viris olim apud Romanos, Imperatoribus, prouinciarum praefectis, aliisque principibus, tributum, honorificum omnino eſſe. Reſtat, vt nunc etiam, abſoluta prima tractationis parte, ad alteram progrediamur, et *Titulos, quibus* ADVOCATI *in Corpore iuris ornantur*, praecipuos breui exponamus.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

DE

TITVLIS ADVOCATORVM HONORIFICIS IN CORPORE IVRIS.

§. I.

Hic vero quid per ADVOCATOS intelligam, si quis quaerat, huic, meo nomine respondeat VLPIANVS *L. 1. §. 11. D. de extraord. cognit.* qui per ADVOCATOS omnes intelligit, *qui caussis agendis quoquo studio operantur.* Non nouam hanc esse nominis notionem supra nos docuisse recordamur. Itaque his missis, ad ipsos Titulos statim pergemus, quibus hi ADVOCATI ornantur in Corpore Iuris. Non tamen multi erimus in congerendis omnibus illis locis, qui ADVOCATORVM honorificam faciunt mentionem. e. g. *L. 4. pr. C. de adu. diuers. iudic. Laudabile vitaeque hominum necessarium* ADVOCATIONIS *officium maxime principalibus praemiis oportet remunerari.* Temperare interim nobis non possumus, quin elegantissimum illum adducamus locum, vbi militibus comparantur: Ita enim Impp. Leo et Anthemius *L. 14. C. de adu. diu. iudicior.* scribunt: ADVOCATI *qui dirimunt ambigua fata causarum, suaeque defensionis viribus saepe publicis ac priuatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus prouident humano generi, quam si praeliis atque vulneribus patriam parentesque saluarent. Nec enim solos nostro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis, et tho-*

thoracibus nituntur, *sed etiam* ADVOCATOS: *Militant namque causarum patroni, qui gloriosae vocis confisi munimine laborantium spem, vitam, et posteros defendunt*. Eadem iam metaphora in efferendis ADVOCATIS eorumque laboribus vsus est CICERO *pro Murena Cap. IX.* quo iudice ADVOCATVS de nocte vigilat, quo suis consultoribus respondeat, sic miles, vt mature, quo intendit, veniat: Illum gallorum, hunc buccinae cantus exuscitat: ille actionem instituit, hic aciem instruit; ille cauet, ne sui consultores, hic ne castra aut vrbes capiantur: ille scit, vt aquae pluuiae, hic vt hostium copiae arceantur. Tam elegans, tamque honorifica haec est ADVOCATORVM comparatio, cum militibus, vt suo quodam iure, peculiari dissertatione eam illustrauerit GVIL. HIERON. BRVCKNERVS, *de strategematibus aduocatorum*. Sed talibus iam non libet immorari, vtpote quae non singulari titulo ADVOCATOS cohonestant sed officium magis eorum referunt, de quo nuper Cel. DIETR. HERM. KEMMRICH edidit programma, inscriptum: *De Munere aduocatorum honorifico*.

§. II.

Augustissimum aeque ac honorificentissimum esse Titulum qui ADVOCATIS *in L. I. §. 1. D. de I. et I.* datur quoue *Sacerdotes Iustitiae* appellantur, is demum meo iudicio negabit, qui ignorat, sacerdotes olim in summo honore fuisse ipsosque sacro sanctos. Tam splendidum, tamque honorificum sacerdotii munus reputabatur, vt ipsi reges illud interdum gessisse memorentur. In vulgus paene notus est versus VIRGILII *Aeneid III. 80.*

Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos.

ad quem locum SERVIVS: *Maiorum enim haec erat consuetudo, vt rex esset etiam sacerdos et pontifex.* Et de Iudaeis, praeter ipsas litteras sacras memorat IVSTINVS *XXXVI, 2, morem apud eos fuisse, vt eosdem reges et sacerdotes*

dotes haberent. Iam vero quod ad rempublicam Iudaeorum, eiusque administrationem attinet, concedo sane sacerdotes simul reipublicae praefuisse, et cum regni gubernatione sacerdotium gessisse. At de aliis populis, de quibus id vulgo traditur, vt id credam, nondum adduci potui. Constat inter omnes, antiquissimis temporibus legum latores congressum Deorum Dearumque simulasse, et leges sibi a Diis reuelatas iactitasse. Notius est Numae, qui Romanis leges scripsit, exemplum, quam vt multis describi debeat; Nam tanta fuit prisci aeui simplicitas, vt nihil salutare ac proficuum reputaret, nisi ab ipsis Diis profectum esset. Hinc latores legum sacerdotes se venditabant Deorum, quo hac ratione plebi ignarae persuaderent, se cum ipsis Diis habere consuetudinem et in legibus ferendis ab iisdem adiuuari. Ergo, quando Orpheus, qui Thracibus leges dedisse traditur, sacerdos vocatur, id ita capiendum mihi videtur, vt hoc ipso indicetur, ipsum legum suarum originem ad Deos retulisse, adeoque *Sacerdotem iustitiae* fuisse. Vocant autem Orphea Sacerdotem VIRGILIVS: *Aeneid. VI. 645. seqq.*

Nec non Threicius longa cum veste Sacerdos
Obloquitur, numeris septem discrimina vocum.

et HORATIVS *de arte poetica vers. 391. seq.*

Siluestres homines sacer interpresque Deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus.

Ex quo quidem loco Horatii perspicitur, toto errare coelo, qui existimant Orphea Sacerdotio fuisse functum. Atque id etiam de aliis regibus, qui simul Sacerdotes fuisse dicuntur, probari posset, si id agere nunc esset propositum; Interea si ipsi reges iustitiae sacerdotes antiquitus fuerunt, dum populo vel leges dederunt, vel iustitiam instillarunt, nihil ADVOCATIS honorificentius iudicandum est, propterea, quod idem

ille titulus ipsis ideo assignatur, quia iustitiam partim homines docent, partim publice defendunt.

§. III.

Saepius iidem hi ADVOCATI etiam vocantur in corpore iuris nostro *togati: l. 3. 5. 6. 8. 9. seqq. C. de adu. diu. iudicior.* quod ipsum nomen satis honorificum esse, notum est omnibus: Nam quis nescit, togam fuisse vestem Romanorum liberis ingenuisque propriam? vsque adeo, vt nulli seruorum licuerit gestare id vestimenti genus. Vnde *togatus* Latinis dicebatur ciuis Romanus. LIVIVS *Lib. III. cap. 52. Non pudet, lictorum vestrorum maiorem prope numerum in foro conspici, quam togatorum aliorumque?* vid. CICERO *in Verrem II, 62.* Igitur quanto maioris olim fiebat apud Romanos ius ciuitatis, et quanto magis Romani ingenuitate sua ac libertate gloriabantur, tanto honorificentius est ADVOCATIS vocari ab ipsis imperatoribus *togatos.* Namque hic titulus non solum auream sortem libere nascendi viuendique ipsis vindicat, verum etiam priuilegia ciuibus Romanis olim competentia adiudicat, quae quanta quamque honorifica quondam fuerint, neminem fugit. Adde, quod hoc ipso nomine ADVOCATIS dato, significetur, ingenuitatem ac sentiendi libertatem iisdem propriam ac quasi naturalem esse.

§. IV.

Porro hi ipsi ADVOCATI audiunt *scholastici in L. 2. C. de Lucr. adu.* Honestissima est pariter haec compellatio, qua proprie indicatur homo, qui in vmbra et in secessu litteris operam nauat, et eloquentiam exercet ipse, aliosque docet. Grauis est locus PLINII, qui *Lib. II. epist. 3.* De Isaeo rhetore: *annum sexagesimum excessit, et adhuc Scholasticus tantum est: quo genere hominum nihil aut simplicius aut sincerius, aut melius.* Haec si encomia propriis

priis

priis scholasticis tribuuntur, quis dubitabit, hoc ipso nomine non minores laudes adscribi ADVOCATIS? qui etsi non in fictis, vt illi proprie, sed in veris litibus versantur plerumque, tamen saepissime etiam domo et in secessu, clientibus suis ius fasque tradunt, et veram iustitiae imaginem sistunt. Nam in allegata lege ii cum primis ADVOCATI intelligendi sunt per scholasticos, qui more veterum iurisconsultorum, de quibus antea dictum est, priuatim ius explicant, et se consulentibus iustitiam docent.

§. V.

Sed licet honorificentissimum sit nomen scholastici, tamen eodem multo est honorificentior titulus *Oratoris*, qui iisdem ADVOCATIS plus vice simplici attribuitur in *L. 33. §. 1. Cod. de Episc. et cleric. et l. 3. §. 9. C. de V. I. E.* Tanta semper raritas oratorum bonorum fuit, vt vix vnus et alter ex omni memoria aetatum, temporum, ciuitatum extiterit. Perquam apposite CICERO *de oratore I. 2.* de Romana differens Republica; *Quis dubitet, quin duces, ex vna vrbe praestantissimos, paene innumerabiles, in dicendo autem excellentes vix paucos proferre possimus? Iam vero consilio ac sapientia qui regere ac gubernare rempublicam possent, multi nostra, plures patrum memoria, atque etiam maiorum extiterunt, quum boni perdiu, nulli, vix autem singulis aetatibus, singuli tolerabiles Oratores inuenirentur.* Ex quibus sequitur, quo rariores semper oratores fuerunt, hoc maiori honori esse ADVOCATIS, cognominationem oratoris. Quodsi vsum, quem attulerunt semper oratores, paullo attentius intuemur, honorificentissimum hoc nomen censeamus oportet. Oratorum enim vis dispersos homines vnum in locum congregauit, et a fera et agresti vita, ad humanum cultum ciuilemque deduxit, CICERO *de oratore Lib. I. cap. 8.* Leges vel tulit, vel latae

tae vt placerent, effecit: ARISTIDES *orat. Platon. I. p. 182.* Iniurias propulsat et calumnias, QVINCTILIANVS *Instit. orator Lib. XII. cap. 2.* Iustitiam defendit: *Dialogus de caussis corruptae eloquentiae cap. 39. seqq:* ad virtutem cohortatur, a vitiis reuocat, bonos laudat, improbos vituperat: CICERO *de oratore Lib. II. cap. 19.* Haec et reliqua omnia, quae orator eloquentia sua et efficere potest et praestare, nomine oratoris honorifico tribuuntur ADVOCATIS. Idem sentiendum de eo, quando hi ipsi ADVOCATI praeter cetera vocantur *disertissimi, l. 13. C. de adu. diu. iudicior:* Iunct. *l. 5. pr. C. de aduoc. diuer. iudic.* Atque his ipsis disertissimis viris, in constitutionibus sanciendis vsus est Alexander Seuerus Imp. de quo ita scribit AELIVS LAMPRIDIVS *in vita eius cap. 16. Leges de iure populi et fisci moderatas et infinitas sanxit: neque vllam constitutionem sacrauit, sine viginti iuris peritis, et doctissimis et sapientissimis viris, iisdemque disertissimis, non minus quinquaginta, vt non minus in consilio essent sententiae, quam senatusconsultum conficerent, et id quidem ita, vt iretur per sententias singulorum ac scriberetur, quid quisque dixisset, dato tamen spatio ad disquirendum, cogitandumque, priusquam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur, de rebus ingentibus:* Quare sicuti Alexander Seuerus Imperator, ADVOCATOS disertissimos in consilium adhibuit et in sacrandis Constitutionibus administros habuit, sic neminem puto tam ignarum rerum olim gestarum, quin sciat, saepius quondam ob eloquentiam et disserendi facultatem, hominibus summam Imperii delatam fuisse. Tam honorificum est ADVOCATORVM nomen, vt et administranda republica, et ipso imperio digni, propter ingenii et eloquentiae vbertatem habeantur.

§. VI.

Aeque honorificus censendus est titulus ADVOCATORVM, quo *in l. 4. §. 1. C. de adu. diu. iudic.* vocantur viri *clarissi-*

rissimi. Quodsi nomen *Clarissimus*, vsu nostrae aetatis, quae in titulis tribuendis maiorem in modum excedit, metiendum esset, dubito, an admodum esset honorificum ADVOCATIS futurum, vereorque, ne id ipsum illi infra dignitatem positum iudicaturi sint. Nam hac nostra aetate quilibet nomine *Clarissimus* salutatur, qui vix ferulae manum subduxit, et vix ac ne vix quidem altiora studia a limine salutauit. Ast longe alia erat ratio huius nominis apud Romanos. His enim clarissimi dicebantur, qui rerum gestarum amplitudine immortalem nominis famam consecuti erant, quique per totum terrarum orbem, factorum magnitudine, inclaruerant. Hinc Themistocles, dux Atheniensium, appellatur vir Clarissimus, propter res maximas gestas, iisque nominis immortalitatem partam, a CORNELIO *in eius vita cap. 8.* Speciatim etiam viri Clarissimi ii dicuntur CICERONI *de Oratore Lib. I. cap. 45. qui propter iuris ciuilis scientiam, nominis famam, per regiones orbis terrarum sparserant.* Deinde apud Romanos viri clarissimi iidem erant, qui suo erant nomine nobilissimi, h. e. ex familia, quae ius imaginum habebat, oriundi. Patet id ex CICERONE, qui, quemadmodum *in oratione ad Quirites post reditum cap. 3.* P. Popilium nobilissimum appellat hominem, Metellum vero clarissimum virum, sic e contrario *cap. 4.* Metellum vocat nobilissimum et constantissimum ciuem, Popilium autem clarissimum atque fortissimum virum. Denique Senatores hoc nomine gaudebant peculiari modo. Quo sensu interpretandus est CICERO *Catilin. III. cap. 10.* quando, *Superauit,* inquit, *postea Cinna cum Mario: tum vero clarissimis viris interfectis, lumina ciuitatis extincta sunt.* Quoniam enim Marius in bello, quod gessit, ciuili, plebis partibus addictus fuit, per se patet, Senatores, ordini plebe-

io oppositos, ab eo maxime trucidatos fuisse: Vnde *clarae personae* vocantur Senatores, eorumque vxores, *L. 5. D. de Cur. ac furios. et aliis etc.* Atque idem etiam exinde colligitur, quod ipsi Consules cum primis hoc nomine ornati leguntur. Ita PLINIVS *Lib. VII. epist. 33. Vereor, clarissimi Consules, ne mihi Massa silentio suo praeuaricationem obiecerit*, ad quem locum videatur AVGVSTVS BVCHNERVS. Hinc sunt *clarissimi Consulares*, apud CICERONEM, *orat. ad quirites post reditum cap. 3.* addatur GOTTL. CORTE *ad Sallustii Catilin. cap. 51.* Sic etiam a CICERONE *in Orat. pro Roscio* Corn. Sulla, et *in Orat. pro Murena* Q. Hortensius et M. Crassus vocantur *Viri Clarissimi:* Fabius quoque Senator sub Antonino Pio Imp. *Vir Clarissimus* in aliquo marmore appellatur: teste REINESIO *in Thes. Inscript. Cl. I. Inscript. 128. p. 258.* Plura eruditissime conquisita de excellentia et dignitate tituli *Clarissimus* ex antiquis veterum monumentis tradunt: *Magnif.* GODOFR. LEONH. BAVDISIVS Academiae nostrae ingens decus ac ornamentum, in *Dissertatione Lipsiae 1706. habita: De Titulis Viri Illustris, Spectabilis*, CLARISSIMI, *Magnifici, Excellentissimi, et Amplissimi, olim aulicis, nunc etiam scholasticis tributis:* et IOAN. CHRISTOPH. BECMANNVS, *in notitia dignitatum illustrium etc.* Quis ex his non cernit, ADVOCATOS, cum propter nominis celebritatem, tum propter dignitatis amplitudinem vocari *clarissimos?*

§. VII.

Atque id mirifice confirmatur, et maximopere illustratur eo, quod in *L. 6. pr. C. de adu. diu. iudic. clarissima eloquentiae lumina* nuncupantur. Nam quum adiectiuo *Clarissima* adhuc addatur nomen *lumina*, quis dubitabit, per-

perquam honorificam hanc esse ADVOCATORVM compellationem: Huc spectat CICERO *pro Milone cap. 8. Itaque delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina, neque vero, quod nonnulli dictitant, secreuit in iudicibus legendis amicos meos;* ad quem locum annotauit ASCONIVS PAEDIANVS, *nunquam neque clariores viros, neque sanctiores lectos esse iudices.* Consentiunt veteres, Q. Hortensium, secundum a Cicerone in eloquentia fuisse et summae in ciuitate dignitatis virum. Atqui hunc non dubitat CICERO ipse *lumen et ornamentum reipublicae* appellare. Sic enim *pro Milone cap. 14. Vidi enim, vidi hunc ipsum Q. Hortensium, lumen et ornamentum reipublicae paene interfici seruorum manu.* Quia itaque viri amplissimi sanctissimique apud Romanos dicebantur *lumina*, ADVOCATOS vel ideo pro amplissimis, sanctissimisque viris ducendos esse sequitur, quod et ipsi dicuntur lumina.

§. VIII.

Tandem etiam ADVOCATI praedicantur, vel *Patroni* simpliciter, *L. 1. §. 4. D. de postul.* it. *L. 6. pr. C. eod.* vel *Patroni caussarum L. 5. C. de Adu. diu. iudicior.* Quem ego titulum si omnium fere principem vocauero, non me adeo a vero aberraturum spero. Nam patronos, qui Graecis *προστάται* dicuntur teste PLVTARCHO *Romul. p. 25.* ipse Romulus instituit. Vt enim nexus aliquis esset inter patricios et plebeios, sanxit Romae conditor, vt vnusquisque ex plebe, quem vellet, ex patriciis patronum sibi eligeret, vid. DIONYSIVS HALICARNASS. *Lib. II. cap. 9.* Hi patroni quemadmodum dicti sunt a patre, prout matronae quasi matres sunt, iudice Ill. HEINECCIO *Antiq. Roman. Lib. I. Tit. II. §. 29. pag. 56.* sic munus eorum erat, vt clientis caussa ea facerent, quaecunque parentes, liberorum caussa vulgo facere solent. Hinc *patronum oportebat*, vt cum laudato HEINEC-

cio loquar, *clientibus respondere de iure, cuius illi rudes erant, absentium aeque ac praesentium negotia curare, lites pro iis suscipere, in ius vocatos defendere, et quietem eis pro virili parare a publicis priuatisque negotiis.* Tanta haec patroni in clientem obligatio, necessitudine ac fide adstricta erat, vt clientes hospitibus et cognatis praeferrentur. Elegans est locus GELLII *Noct. Attic. Lib. V. cap. 13. Quum quaereretur, quibus nos officia prioribus potioribusque facere oporteret; si necesse esset in opera danda, faciendoque officio alios aliis anteferre: non constabat; conueniebat autem facile, constabatque ex moribus populi Romani, primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelaeque nostrae creditos, secundum eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem patrociniumque nostrum dederunt: tum in tertio loco esse hospites: postea esse cognatos affinesque etc. etc.* vid. idem GELLIVS *Noct. Attic. Lib. XX. cap. I.* Neque priuati solum homines suos patronos habuerunt, verum etiam coloniae, vrbes, et gentes Romanis amicae idem factitare consueuerunt. Nouimus enim Siculos fuisse in clientela Marcellorum, vid. CICERO *in Verrem cap. I.* ibique ASCONIVS. Allobroges in clientela Fabiorum, vid. SALLVSTIVS *Bell. Catilin. cap. 41.* Cyprum et Cappadociam in clientela Catonis: vid. idem CICERO *ad Famil. XV. 4.* Imo, nullum temere fuit negotiatorum corpus, nullum artificum collegium, quod non patronum sibi Romanam aliquam familiam adoptasset; quemadmodum haec suo more solidissime demonstrauit *Illustr.* HEINECCIVS, *cit. loc. pag. 57. seqq.* Ex his omnibus de patronatus apud Romanos indole inter se collatis collectisque perspicuum fit, in patronis olim requisitam fuisse summam autoritatem, summam

mam fidem, fummam iuris fcientiam. Quamobrem, quando ADVOCATI, vocantur *patroni*, fumma de ipfis autoritas, fumma fides, fumma iuris fcientia praedicatur. Quo quid honorificentius dici poffit de ADVOCATIS, ego quidem non intelligo.

§. IX.

Tam honorificum ergo quum fit ADVOCATORVM nomen, vnusquisque, qui fe facris Themidos initiauit, in id omni ftudio debet incumbere, vt dignum aliquando tam honorifico nomine, tamque fplendidis ADVOCATORVM titulis fe praeftare poffit. Quam ad rem vt noftris iuris cultoribus viam quodam modo pararem, conftitutum mihi eft, fequentia hoc femeftri aeftiuo aperire Collegia:

I. IVRIS GERMANICI: ad B. GEORGII BEYERI *Delineationem iuris Germanici.* Diebus ☽. ♂. ♃. et ♀. ab Hor. Mat. IX. ad X.

II. INSTITVTIONALE: ipfum textum Inftitutionum explicabo, quid iura Germanica Romanis fuperaddant, inque foris noftris obtineat, demonftraturus: Diebus ☽. ♂. ♃. et ♀. ab Hor. Mat. VIII. ad IX.

Cumque iurisprudentia fine hiftoria effe non videatur, id agemus, vt inhaerendo iuri, hiftoriam non negligamus; quare offero Collegium

III. IN HISTORIAM IVRIS: Ducem elegi Iureconfultum fummum illuftr. HEINECCIVM *in hiftoria iuris Ciuilis Romani* ac *Germanici*: Diebus ☿. et ♄. ab Hor. Mat. IX. ad X.

IV. Interpretationem *Inftrumenti Pacis Weftphalicae* hactenus coeptam ad finem perducere allaborabo, quo labore ad finem vfque peracto, ftatim ad *Capitulationis nouiffimae Carolinae* explicationem me accingam: Diebus ☿. et ♄. ab Hora pomerid. II. ad III.

 His

His laboribus abſolutis, niſi ſummo rerum noſtrarum moderatori, aliter forſan, de me ſtudiisque meis diſponere placuerit, Collegium Pandectarum, iuris Canonici, et practicum vobis polliceor.

Quidquid ingenii natura in me poſuit, hoc omne, COMMILITONES SVAVISSIMI, veſtro commodo conſecrabo: nulla enim mihi cura eſt prior, nulla antiquior, quam vt veſtris ſtudiis commodiſque, quoad poſſum, inſeruiam. Hinc ego pro viribus meis, quas quidem ſcio eſſe exiguas, me vobis ſocium offero atque comitem, vosque de mea induſtria et fidelitate perſuaſiſſimos cupio, rogatosque volo, vt decenti attentione et frequentia docentis excitetis vigorem: Initium oblatorum Collegiorum fiet B. C. D. Die lunae poſt feſt. Trinitatis, [illegible] erit dies VI. menſis Iunii. Valete meisque fauete [illegible]itibus. Dabam Lipſiae Domin. in Albis. A. R. S. M DCC XXXV.

